

MORBI GRAVIDARUM.

1293. Postquam gravida est foemina plurimis afficitur malis ex sola graviditate oriundis.

1294. Quorum nonnulla oriuntur ex sanguine menstruo secerni impedito ob clausum uterum, & foetu tamen non potente hactenus in sui incrementum eum absumere.

1295. Alia ex ipsa mole, motuque foetus, atque secundinarum, & aquarum, vim exercentium in partes hasce sensiles admodum.

1296. A priori (1294.) videntur pendere Nausea, Vomitus, prostratus appetitus, vel idem depravatus plane, animi deliquia, vertigines, dolores summi stomachi pectinis, inguinum, renum, mammarum, torpor, gravitas, dyspnoea, abortus.

1297. Quae proinde pendentia ab una causa eodem remedio, sanguinis missione, tolli solent.

1298. In qua tamen instituenda, locus, tempus, copiaque, maxime advertenda.

1299. Tum vietus tenuis, motus ordinatus, potus levis, admodum profund.

1300. Interim Cardiaca aromatica, una cum lenissimis antihystericis, vel & blandis subacidis, summi usus sunt, & efficaciae.

1301. Ab incremento foetus oriri videtur eadem fere, quae enumerata, (1296.) tum difficultas urinae, & alvi, Haemorrhoides, Varices, Inflatio pedum, Uterinorumque labiorum, lapsus proclivis.

1302. Quibus quidem auxilium ferri potest aliquando remedio, V. S. (1297.) vel & situ corporis pro tempore mutato, tum etiam fasciis, similibusque, atque tandem linimentis lenibus.

1303. Inter periculosissimos vero gravidarum morbos habetur fluor uterini sanguinis.

1304. Qui fere ex eo, quod placenta ab utero soluta, & arteriis plenis sanguine distendente, uteroque distento, saepe pleeno rivo arteriosus crux emanet.

1305. Cognoscitur ex orificio uteri laxato, sanguinis fluxu magno, citato, admodum debilitante, vivo, vel grumoso, dolente.

1306. Causa hujus, affectus animi vehementes, motus corporis nimii, hysterica, & emmenagoga male applicata, percussio inferioris partis abdominis.

1307. Remedia, quies animi, corporisque

que, aer frigidus modice, Venae fectio,
adstringentia, opia.

1308. Si his nihil proficitur, Infans
methodo optima, pro situ ejus mutata,
illoco educendus, uterusque ab foetu, pla-
centa, grumoso cruento integre liberandus
erit.

1309. Neque refert; quonam gestatio-
nis tempore id acciderit, cum melius sit
perire, vel aliter peritum, foetum, sal-
va matre, quam perire certo utrosque.

PARTUS DIFFICILIS.

1310. Partus difficilis fit vitio Matris,
Infantisve.

1311. Vitio Matris, deficientibus viri-
bus ad expellendum, vel partibus ipsis na-
turalibus male se habentibus.

1312. Si vires deficiunt, hae excitandae
sunt ope Uterinorum, Cardiacorum, Ster-
nutoriorum.

1313. Si uteri collum internum nimis
angustum, durumve, linimentis succur-
rendum quantum possibile, ut lubricum
emollescat, vel fotu.

1314. Si Tumor hic, (1313.) vel in va-
gina enatus expulsionem impedit, is discu-
tiendus, suppurandus, vel eximendus ope
Chirurgica,

Aphor.

Y

1315